Id est babylonia designatur.
Quae contra uitam innocentium
inmanitate crudelitatis efferat.
Quae antiquo hosti quasi saeuissimo
leoni sociata peruersę psuasionis con
tra semina concepit & reprobos
ex se filios ad similitudinem illius
quasi crudelis catulos gignit
Catuli leonum sunt quilib& reprobi
ad iniquam uitam malignorum spi
rituum errore generati. Qui & si
mul omnes uniuersam mundi ciui
tatem quam p̄ diximus babyloniā
faciunt & tamen hi idem singuli
babyloniae filii quasi non leęna.
sed leaenae catuli uocantur.
Sicut sion tota simul aeclesia dicit̃.
Filii autem sion scōrum qui quę sin
guli memorantur. Ita & filii baby
loniae singuli quique reproborum.
Et eadem babylonia simul omnes
reprobi uocantur. Sciuiri quam
diu in hac uita sunt semetipsos solli
cita circumspectione custodiunt.
Ne leo circuiens insidiando subri
piat. Id est antiquus hostis sub ali
qua imagine uirtutis occidat & ne
leenę uox auribus obstrepat.



Id est ne babyloniae gloria sensum
ab amore patriae caelestis auestat.

XXIIII. QUID SIGNIFICET
ARCA DILUUII.

ARCA DILUBII QUAE
inferius ampla superius
uero angusta describit̃.
Scām aeclesiam figuratur. Quae
a trecentis. lx. ac. xxx. cubitis ad
unum cubitum colligitur. quia
beatitudine quam scā eclesia
in membris suis adhuc infirman
tibus hab& paulisp angustata
& in altum proficiens ad unum
tendit. Ratio exigit ut credamus
quod in illa arcę latitudine omnes
bestiae cunctaque quadrupedia
atque reptilia in inferioribus fue
runt. homo uero atque uolatilia
nimium in superioribus. Iuxta su
periorem & enim partem fenestra
fuit in latere. In quo coruum uel
columbam demisit hom.
Ut si iam diluuii transisset aqua cog
nosceret. Et quia arca eadem in u
no fuit cubito consummata homo
& uolatilia iuxta cubitum fuerunt.
Recte p arcam uniuersa aeclesia.

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HEIDELBERG
Bodleian Libraries UNIVERSITY OF OXFORD
HESSEN Staatliche Schlösser und Gärten Hessen
Organisation der Vereinten Nationen für Bildung, Wissenschaft, Kultur und Kommunikation
Kloster Lorsch Welterbestätte seit 1991
© Bodleian Libraries
http://bibliotheca-laureshamensis-digital.de/view/bodleian_mslaudmisc433/0057